

voluntatis distincta, neque proprie aliqua formalitas actus, sed mera ratio in actu dicens ita procedere actum a voluntate, ut ab ea eligatur, omnino admittimus sine decreto et concursu divino, antecedenter tamen indifferente, non actum voluntatis nec ejus determinationem poni posse; quia ut res sit seu esse accipiat, essentialiter requiritur ejus causa, quam in Deo et voluntate adæquate constituimus. Hinc vero sicut determinata futuri veritas pro priori ad suam causam nec esse nec asseri potest, etiam nequit pro priori ad decretum divinum cognosci aut per propositionem enuntiarum. Cum vero veritatem objectivam non constituat decretum divinum, et effectus etiam, qua talis, secundum suum esse formale seu constitutiva intrinseca cognosci queat, quin illa cognitione attingatur simul ejus causa aut aliud quodcumque ad ejus positionem adhibitum; sequitur saltem ab intellectu creato futurum formale cognosci posse sine decreto et ab eo præsciendendo. Cognitione Dei realiter quidem sumpta est comprehensiva tum actus tum causæ tum sui decreti, sumpta autem formaliter ac reduplicative seu quatenus est cognitio futuri terminatur ad esse formale futuri, utpote quod in esse veri et cognoscibilis constituitur sine decreto tanquam parte.

129. *Observa.* Deus contingentia absolute futura non videt in sua essentia tanquam specie intelligibili, quia hæc non est necessario connexa cum contingente absolute futuro, sed indifferens ex se est ad representandum futurum æque ac non futurum; nisi ex supposito existentie futuræ, cum essentia divine vis representandi infinita jam determinata sit ad representandam futuram existentiam. Neque in decreto applicativo suæ omnipotentia aut in alio quocumque decreto scientiam mediam antecedente vel ab ea independente cognoscit: de facto tamen cognoscit in complexo scientia mediæ et decreti omnipotentiam applicantis; nam illud est ad utrumque indifferens, vel si est cum uno determinate extremo essentialiter connexum, obest libertati: hoc vero complexum una cum infallibilitate cognitionis divine salvat libertatem voluntatis humanæ. Porro Deus futura prædicta videre quidem nequit in causis creatis liberis nude sumptis; videt tamen illa in causis his, ut sese determinaturis: quia causæ creatæ liberæ, quantumvis proximæ completæ ac expeditæ, quoad actum primum spectari adhuc debent ut indifferentes ad agendum vel non agendum: sed ut sese determinaturæ spectantur in actu secundo ut natura seu causalitate priores effectui. Multo minus Deus futura videt in ipsorum coexistentia reali cum æternitate divina; tum quia nullum futurum physice ac realiter ab æterno extitit: tum quia æternitas, qua Deus creaturis in tempore existentibus coexistit, non facit illas Deo ab æterno præsentis, sed tantum præsentis æternitati in tempore: tum quia hic cognoscendi modus convenire nequit Deo respectu futurorum conditionatorum, quorum conditio nunquam est implenda. Cum cognoscit autem futura, hæc cognoscit in veritate objectiva et entitate ipsa, quæ aliquando erit; et sic illa coexistunt Deo ab æterno, at præsentia mere objectiva.

ARTICULUS V.

AN, ET IN QUO DEUS COGNOSCAT CONTINGENTIA CONDITIONATE FUTURA?

130. *Nota 1.* In conditionate futuris tria sunt consideranda: *conditio*, quæ etiam hypothesis dicitur, est illa, sub qua aliquid affirmatur vel negatur, et per particulam *si* communius exprimitur: *conditionatum*, quod sub conditione affirmatur vel negatur, et in futuris eventus dicitur: *habitus* vel conducentia conditionis ad conditionatum.

Dividitur 1^o. in mere seu *pure* conditionatum, ubi scilicet conditio nunquam purificabitur, h. e. ponetur seu ad statum absolutum reducetur; et in *non pure* conditionatum, ubi conditio purificabitur, et hinc ex conditionate futuro evadet absolute futurum. De primo membro quidem movetur quaestio, cum de altero jam in præcedente articulo responsum fuerit: nihilominus ad ea *secundum* quoque pertinet, eo quod omne absolute futurum præsupponat ante se conditionate futurum; cum, si verum est effectum v. g. esse exiturum sub hac libertate, etiam verum sit quod exiturus sit hic effectus, si detur hæc libertas.

Dividitur 2^o. in conditionatum *impossibile*, ubi scilicet sub conditione impossibili aliquid enuntiat; v. g. si lapis esset homo, libere operaretur: in conditionatum *necessarium*, ubi aliquid enuntiat sub conditione, quæ necessariam habet connexionem cum conditionato; quod dupliciter haberi potest, nempe vel ex essentia et *natura rei*, ut in hac propositione: si ignis est, calefacit; vel ex solo *decreto* ac *voluntate Dei*, ut in his: si peccator morietur cum poenitentia finali, salvabitur: si percussisset Joas terram jaculo quinquies aut sexies, salvabitur: si percussisset Syriam usque ad consumptionem: si Christus non abiisset, Paraclitus non venisset ad Apostolos, etc.: in conditionatum *contingens*, ubi conditionatum enuntiat sub conditione, quæ quidem non habet connexionem cum conditionato necessariam, sed tamen vel per modum *causæ* vel per modum *occasionis* connectitur cum existentia objecti conditionati, ut in his: si Petrus vocetur auxilio hoc, assentiet; si vocetur auxilio illo, dissentiet; in qua postrema quamvis auxilium illud nullam dicat proportionem conducentia ad dissensum, sicut auxilium hoc in priori eam dicit ad assensum, tamen habet proportionem constitutivi libertatis ad dissensum, ut nempe conducit ad oppositum scilicet assensum: in conditionatum *disparatum* ubi conditionatum enuntiat sub conditione, quæ nullam plane ad illud connexionem dicit, ut in hac: si Turca dormit, Papa orat. Hujusmodi autem propositiones semper sunt falsæ, si particula *si* rigorose sumatur; eo quod propositio conditionata *rigorose* sumpta non affirmat vel negat nudam existentiam conditionati, sed dependenter a conditione; conditionatum autem nunquam existet nec non existet dependenter a conditione *disparata*, ut patet ex terminis: possunt tamen esse veræ, si particula illa *si* explicetur vel æquivalet particulæ *quando*, et significet tantum concomitantiam utriusque propositionis: atque in hac potest subinde dari connexio etiam *necessaria* sed *ab extrinseco*, scilicet a voluntate divina vel creatæ, ut patet in illa Eliæ ad Elisæum: si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti. Porro quamvis postremum condi-

tionatum possit referri ad scientiam Dei mediam *materialiter* sumptam, et conditionatum etiam impossibile juxta aliquos spectet ad eandem simpliciter, si conditio impossibilis per impossibile purificata haberet connexionem cum conditionato solum contingentem; his tamen uti et aliis omissis, quæ ad scientiam Dei necessariam aut simplicis intelligentiæ spectant, agemus hic duntaxat de contingentibus conditionate futuris.

132. *Nota II.* Thomistæ, ac Scotistæ etiam statuunt, hæc futura cognosci a Deo in decreto per se et antecedenter determinato; quod, quia actu dari volunt, vocant *subjective* seu ex parte actus absolutum; quia vero est circa conditionate futurum, vocant *objective* seu ex parte objecti conditionatum. Alii fere omnes negant non tantum compossibilitatem horum decretorum cum libertate humana et divina sanctitate, sed etiam necessitatem decreti actu existentis ad cognitionem *conditionate* futurorum: unde communius statuunt contingentia conditionate futura, etiam ante et independenter ab ullo decreto actuali, a Deo infallibiliter cognosci in seipsis immediate, quam cognitionem *scientiam mediam* vocant.

133. *Dico I.* Deus contingentia conditionate futura certo et infallibiliter cognoscit.

Prob. Deus non dicit aut revelat in Scriptura, quæ vel non cognoscit vel non certo nec infallibiliter scit: sed Deus in Scriptura revelavit plura contingentia conditionate futura; ergo necessario dicendum est, Deum hujusmodi futura certo et infallibiliter cognovisse. *Cons.* valet pro omnibus conditionate futuris, licet non revelatis; sicut hanc illationem Auctores admittunt ex simili illatione pro absolute futuris. *M.* est fundamentum nostræ fidei et ex ipsis terminis nota est, cum suprema in loquendo auctoritas nequeat concipi sine summa sapientia.

Min. prob. ex 1. Reg. 23. 11. cum David fugiens Saulem in Ceilam se recepisset, Saül vero hanc urbem expugnare deliberaret, David consuluit Dominum et ab eo responsum accepit: *Si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus: descendet. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ, et viros qui mecum sunt in manus Saul? Et dixit Dominus: tradent.* Sapient. 4. 11. dicitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus: aut ne fictio deciperet animam illius.* Matth. 11. 21. Christus ait: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent.* Hæc vero fuisse contingentia et quidem pure conditionate futura, ex Sacris Litteris omnino notum est. Consentiant SS. Patres, præsertim Aug., qui L. de corr. et grat. c. 8. n. 19. sic ait: *Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et ne fictio deciperet animas eorum? utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? nempe nihil horum nisi perversissime atque insanissime dicitur.* L. de don. persev. c. 9. n. 23. Numquid possumus dicere etiam Tyrios et Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si ferent? cum eis ipsis Dominus attestetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtu-

tum. Epist. 49. (al. 102). q. 2. n. 14. *Quid verius, inquit, quam præscire Christum, qui et quando, et in quibus locis in eum fuerant credituri.* Et infra: *Quid ergo mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis noverat, ut eis apparere aut prædicari merito nollet, quos nec verbis nec miraculis suis credituros esse præsciebat.* Huc denique pertinent loca omnia, in quibus vocationem efficacem congruam Aug. per scientiam conditionatam explicat, uti facit L. 1. de div. qq. ad Simpl. q. 2. n. 13., L. de Prædest. Sanct. c. 6. et seqq., L. de don. persev. c. 8. et 14., et alibi. Cum enim hanc gratiam dicit a Deo prævisam esse ita aptam et congruam voluntati, ut ab ea infallibiliter sit acceptanda, et manifeste supponat hanc præscientiam antecedere voluntatem dandi hanc gratiam, sequitur necessario statutam ab eo fuisse hanc conditionalem: si hæc voluntas ita vocata fuerit, consentiet, et ex positione talis præscientiæ Deus vult dare talem vocationem.

Conf. 1º. Deus ex infinita intellectus perfectione debet certo et infallibiliter cognoscere omnem veritatem cujuslibet propositionis, quæ ab intellectu creato enuntiari potest, et hinc objectum propositionis, utrum eo modo sit quo modo enuntiat propositio; nam ut S. Th. p. 1. q. 14. a. 9. ait, *quæcumque possunt per creaturam fieri vel cogitari vel dici, omnia cognoscit Deus:* sed, quamvis sine fundamento et cognitione veritatis, possumus cogitare et enuntiare propositiones conditionatas plurimas et sine numero de quocumque objecto; ergo. 2º. SS. Patres movent varias quæstiones, cur Deus futurorum præscius hoc vel illud faciat, quæ non possunt nisi de *præscientiâ conditionali* intelligi; ut cur Deus creaverit angelos malos et hominem, cur elegerit Saulem in Regem, Judam in Apostolum etc. apud Cyr. L. 9. in c. 13. v. 18. Joan., TERTUL. L. 2. cont. Marc. c. 5., HIER. Dial. 3. cont. Pelag. n. 6., GREG. NYS. Catech. magna c. 7. etc.; ad quas non respondent negando talem in Deo scientiam, sed illam supponendo ex libertate arbitrii et aliis divinæ providentiæ causis rationem reddendo. Theologi plures quæstiones examinant *mere conditionales* de statu naturæ puræ aut innocentis, de Incarnatione si Adam non peccasset, de alio providentiæ ordine; easque etiam ex Scriptura et Patribus et sanæ Theologiæ principiis resolvunt. Viri pii imo et universa Ecclesia varia precantur a Deo, si tamen ea ad gloriæ divinæ incrementum et propriam salutis utilitatem conducant: plurimum etiam hominum politicorum in Scriptura, nempe 2. Reg. 19. 7., 3. Reg. 12. 7., Esth. 4. 14., Joan. 11. 48. etc. enuntiationes certæ de futuris sub conditione habentur. Nullus denique, ut *Ludovicus Legionensis* inquit, adeo est hebes ingenio, quem si interrogas aliquid ex conditionalibus, statim non respondeat: nescio ego, Deus scit. Ergo nemo est, qui non supponat vel aperte confiteatur Deum certo cognoscere contingentia conditionate futura.

134. *Obj.* Ex allatis SCRIPTURÆ testimoniis vel conditionate futurorum cognitio, vel certa cognitio divina nequit erui. Nam quod 1^{um}. textum attinet, in eo vel quæstio duntaxat erat, et dabatur responsum de præsentis voluntate Saulis et Ceilitarum; hinc Paraphrasis Chald. interrogationes Davidis sic reddit: *Num cogitans descendere? num cogitantes tradere?* et Glossa interlinearis ad verbum *tradent*, hæc habet: *In voluntate habent, ut tradant:* vel si quæstio concedatur fuisse de futuris eventibus, Deus tamen non respondit ex certa scientia, sed *ex conjectura*, fundata scilicet in propen-

sione voluntatum Saulis et Ceilitarum; sicut dum Deus Ezechiae praedixit mortem, eam non revelavit absolute, sed quantum imminerebat ex gravitate morbi, si Ezechias eam precibus non averteret. Quoad 2^{um}. S. Aug. L. de praedest. Sanct. c. 14. n. 26. hoc testimonium explicans ait: *Dictum est secundum pericula vitae hujus non secundum praescientiam Dei, qui hoc praescivit quod futurum erat, non quod futurum non erat: id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto; non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* Denique quantum ad 3^{um}. vel illa locutio non erat assertiva et in sensu proprio, sed *exaggerativa* tantum, quia ad exprobandum Judaeis a Christo fuit dicta, sicut et illud, quod Tyrii levius judicium sint habituri, cum tamen propter aliquod sub conditione tantum futurum nec augeatur nec minuatur poena; unde et JANSEN. GAND. in Concord. c. 4. hanc expositionem adduxit: vel si fuit assertio, erat duntaxat conjecturalis, desumpta scilicet ex dispositione Tyriorum actuali; unde HILAR. in Matth. c. 11. n. 10. quasi per paraphrasin dixit: *Fortè illis credendi fuisset affectus, si talium virtutum contemplatio contigisset.* Ergo ex his testimoniis nihil certi statui potest.

R. N. Ass. Quoad 1^{um}. textum, *explicatio* 1^a. apertae veritati et proprio ac litterali Scripturae sensui repugnat: unde si quid interpretari necesse est, potius dicta paraphrasis Chal. et glossa exponendae sunt de voluntate quidem praesente, sed perseverantia usque ad effectum ipsum, quam ut, sine auctoritate aut necessitate cogente, admittatur improprietas in sermone textus sacri, contra regulam S. Aug. receptam, quae in Scripturarum hermenia proprietatem verborum, quibus non dictiones singulae tantum, sed multo magis tota sententia intelligenda est, servandam jubet. Accedit opposita interpretatio S. HIER., qui L. QQ. Hebr. in 1. Reg. c. 23. v. 11. verbum *descendet*, sic exponit: *Ac si diceret, si hic steteris, descendet; et de verbo tradent, ait: Iste est sensus, si descenderit Saul, et hic te invenerit, tradent;* quae conditiones adjunctae non permittunt explicationem de praesenti voluntate, sed futuram manifeste exigunt. Idem in hunc locum asserunt Theodoretus et Lyranus. Similiter N. 2^{um}. *explicationem*, quae supponit de propensione voluntatis priorem, ac praeterea cognitionem Dei facit opinionem, contra veritatem argumentorum supra adductorum.

Ad parit. Discrimen constat ex S. Historia; quia Isa. 38. exprimitur gravitas morbi v. 4. *In diebus illis aegrotavit Ezechias usque ad mortem*, et v. 2. deprecatio Ezechiae pro morte a se avertenda, ac tandem in seqq. vitae prolongatio: unde patet, illam praedictionem divinam non fuisse absolutam, sed quantum ex praesenti morbo mors secutura foret, nisi eam precibus averteret, adeoque tacitam inclusisse conditionem, quam aliae promissiones divinae de exaudiendis illis, qui Deum aliquid conveniens sincere rogarent, satis declararunt: simile nihil observare licet in revelatione David facta: quin nec ab eodem aliam conditionem, nisi quam ipse expresserat, subintelligi potuisse ostendit proprio facto, dum nulla ratione aut mora interposita fugit ex urbe.

Quoad 2^{um}. responsio sumenda est ex dicendis ad 1^{am} instantiam.

Quoad 3^{um}. N. 1^{am}. *explicationem*, tum ob regulam S. Aug., tum ob communem Patrum interpretationem, qui hanc dictionem vere propheticae habuerunt, et *eloquia veritatis* aut *apertissime dicta*, uti Aug. L. de Dono

persev. c. 9. n. 22. et in Enchir. c. 95. loquitur, vocarunt. *Quoad probationes*: 1^o. Quidem exprobratio major est et efficacior, si intelligatur Christus ex certa praesentia loqui, quia sic comparatio ad confundendos Judaeos est aptior: 2^o. *Judaeis* recte judicium gravius, *Tyriis* levius denuntiatur; quia gravius peccabant illi non credendo in tanta gratiarum abundantia, quam isti legem naturalem violando sine illa copia: 3^o. Jansenius explicationem dictam assertit quidem, sed ut tolerabilem permittit tantum, nec affirmat, aut in ea pedem figit; quin illa verba secundum propriam significationem sumpta tanquam expositionem S. Aug. laudat ac defendit. *Explicationem* 2^{am}. N. ex hactenus dictis. Ad textum HIERON.

R. Ab eodem particulam *forte* adhibitam omnino censi posse ea ratione, qua ab Evangelista in eodem cap. v. 24. fuit usurpata: sed hic profecto non significat dubitationem aut incertitudinem cognitionis divinae; ergo.

Inst. 1. Juxta mentem Patrum videtur neganda in Deo cognitio certa mere conditionate futurorum. Nam 1^o. Negant praesentiam de his futuris, ut patet ex Aug. L. 1. de anima et ejus orig. c. 12., ubi inquit: *Ipsa exinanitur omnino praesentia, si quod praescitur non erit: quomodo enim recte dicitur praesciri futurum, quod non est futurum?* Quibus similia habet FULGENT. L. 1. de verit. praedest. c. 7. n. 15. PROSPER epist. ad S. Aug. de Semipel. n. 5. DAMASC. cont. Manichaeos. n. 68. et 73. 2^o. Mere conditionata negant futura, ut rursus docet Aug. L. 26. cont. Faust. c. 4.: *Omnia, quae vere futura sunt, sine dubio fient, si autem facta non fuerint, futura non erant.* Et L. 2. cont. duas epist. Pelag. c. 7. n. 16. *Quomodo enim praescivit ea futura, quae, illis in infantia morituris, potius praescivit non futura;* ergo. *Conf.* Juxta S. THOMAM nullus est modus, quo Deus possit cognoscere futura ejusmodi. Nam, juxta eundem p. 1. q. 14. a. 13. et 2. q. 171. a. 6. ad 2. alibique, via unica qua Deus ea cognoscere queat, est in praesentia aeternitatis: sed futura sub conditione non ponenda, cum in ulla temporis differentia existant, non sunt aeternitati divinae praesentia; ergo.

R. N. Ass. *Ad prob.* 1^{am}. D. Negant praesentiam secundum vim vocis C. secundum ipsam rem *subd.* spectatam in se et quoad substantiam N. usurpatam a Semipelagianis et quoad abusum ejusdem C. Praesentia in rigore sumpta dicitur habitudinem scientiae ad rem posteriorem in tempore extitutam, seu antecessorem aeternitatis ad tempus; unde DAMASC. supr. c. inquit: *Praenotio est, ea quae futura sunt, antequam in ortum prodeant, nosse.* Et in hoc sensu dicit Aug., *non esse dictum secundum praesentiam*, item *exinaniri praesentiam*; quia sermo erat de mere conditionate futuris; seu de iis, quae absolute futura non erant, quamvis futura fuissent, si conditio foret posita. Quamvis vero *Semipelagiani*, ut et nos hic facimus, sumerent praesentiam Dei minus rigorose et pro cognitione certa rerum etiam tantum conditionate futurarum, docebant tamen praeterea, Deum propter peccata vel merita pure conditionate futura ab ipso praevisa decernere poenas ac praemia; adeoque quibusdam infantibus negatum esse Baptismum ob demerita, quae incurrerent, si vixissent; aliis vero eum esse concessum ob merita, quae, si vixissent, haberent. Atque hoc maxime est, quod impugnant PATRES, non autem simplicem quamdam intelligentiam ac certam cognitionem rerum

quantumvis nunquam ponendarum absolute, sed duntaxat futurarum, si aliqua daretur conditio.

Hinc Aug. 1. c. de anima et ejus origine subjungit: *Quomodo ergo puniuntur peccata, quæ nulla sunt, id est, quæ nec vita ista nondum incipiente commissa sunt ante carnem, nec morte præveniente post carnem?* Et L. de præd. Sanct. c. 14. n. 29. *Si enim judicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, sed habituri essent, si viverent; nihil prodesset ei qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus; nihil prodesset eis qui lapsi moriuntur, si ante morerentur: quod nullus dicere Christianus audebit.* Similia reperies in ejus Discipulis FULGENTIO ET PROSPERO: DAMASCENI autem mens ex nuper relatis verbis patet.

Ad prob. 2^{am}. D. Negant mere conditionata esse absolute futura C. conditionate futura subd. quæ habent rationem meriti vel demeriti, ad quod Deus absolute decernat præmium vel penam C. secus N.

Ad Conf. R. D min. Futura sub conditione nunquam ponenda non sunt divinæ æternitati præsentia tanquam absolute futura C. tanquam conditionate futura N. Eo nempe modo quo sunt, æternitati etiam sunt præsentia.

Inst. 2. Cognitio de futuris conditionatis includit plures imperfectiones, nam 1^o. est *ficilia*; quia fingit poni conditionem: 2^o. est *apprehensiva* tantum; quia neque negat, neque affirmat conditionem: 3^o. est *præcisiva*; quia quamvis effectus sit absolute futurus, nihil tamen enuntiat de absoluta ejus existentia: 4^o. est *discursiva*; tum quia propositio hæc: si Petro detur auxilium, consentiet, æquivalet isti: Petro datur auxilium, ergo consentiet: tum quia veritas propositionis conditionatæ consistit in bonitate illationis, cum alias cognitio divina nequeat esse certa et infallibilis de veritate conditionata; ergo Deo tribui nequit.

R. Ad prob. 1^{am}. N. Ass. et Rat. Quia Deus conditionem non attingit per modum existentis, sed per modum requisiti vel conducentis possibilis; in quo non est fictio: sicut nec est, dum attingit causam necessariam possibilem, ex qua sequitur effectus.

Ad prob. 2^{am}. D. Est tantum apprehensiva, si sumatur realiter N. si formaliter consideretur subd. quatenus nihil plane enuntiat de conditione aut conditionato N. quatenus non enuntiat existentiam absolutam conditionis aut conditionati C. Habetur iterum exemplum in cognitione Dei de possibilibus.

Ad prob. 3^{am}. similiter D. Est realiter præcisiva N. formaliter subd. quatenus hæc cognitio non exprimit omnia prædicata, v. g. existentiam absolutam, quæ rei illi realiter conveniunt C. quatenus objectum non cognoscat eo modo et secundum ea prædicata, quo seu secundum quæ pro illo signo et statu cognoscibile est N. Rursus scientia *simplicis intelligentiæ* paritatem præbet.

Ad prob. 4^{am}. N. Ass. Quia discursus importat cognitionem claram antecedentis, ex qua progrediatur intellectus ad cognitionem consequentis nondum clare cogniti: in Deo autem nec illa progressio, nec defectus claritatis admitti potest, utpote qui simplicissimo et clarissimo intuitu agnoscit conditionem et conditionatum. *Rat. utr. N.* Imprimis enim conditionalis propositio non æquivalet absolutæ, qualis hic assertur: deinde non datur connexio

antecedentis cum consequente, quæ ad bonitatem illationis necessaria est, sed duntaxat conducentia conditionis ad conditionatum, quæ sufficit ad veritatem conditionatam, adeo ut, si quid plus detur, jam non pertineat ad scientiam liberam, sed necessariam, ut num. 130. observavimus.

Inst. 3. Hæc propositio: si Petro detur auxilium A, consentiet, nullum potest habere sensum verum. Non enim potest habere hunc: si detur cum omnibus requisitis ad consensum; quia sic est veritas *necessaria*, ad scientiam necessariam, non autem ad liberam contingentium spectans; cum ex illis requisitis, unum sit cooperatio divina essentialiter connexa cum consensu: nec potest habere hunc: si detur sine illis requisitis, aut præscindendo ab illis; quia falsum est, sine aut præscindendo a requisitis ad consensum existere eundem; ergo. *Conf.* Conditionatum posita conditione transit in absolutum; ergo saltem *futura absoluta* nequeunt cognosci conditionate, quia inanis est affirmatio conditionata, quando ab æterno cognoscitur et affirmatur absolute futurum.

R. N. A. Quamvis enim nullum *ex assignatis* sensum faciat, tamen reddit hunc: si Petro detur auxilium A cum reliquis omnibus per se requisitis ex parte actus primi, consentiet. Propositio enim sic accepta ex parte hypothesis non attingit cooperationem divinæ omnipotentiae, quæ pertinet ad actum *secundum*, nec aliquid aliud connexum cum consensu; cum omnia ex parte actus *primi* requisita sint indifferentia. Similis cum proportionem est responsio ad aliam explicationem, qua dicitur hæc propositio: si Petrus vocetur auxilio A, consentiet, æquivalet huic: casus vocationis est casus consensus; quin tamen verus sit *sensus universalis*, cum non omnis casus vocationis sit casus consensus; et quin etiam usurpari possit sensus particularis, cum necessarium sit, in aliquo vocationis casu posse esse consensum. Nam dicendum est, æquivalere illam propositionem huic singulari: hic casus vocationis est casus consensus.

Ad Conf. R. D. Cons. Non possunt cognosci conditionate pro eo signo, pro quo posita cognoscitur conditio C. pro alio signo, pro quo necdum intelligitur conditio posita N. *Prob. D.* similiter: inanis est affirmatio in signo priore ad affirmationem absolutam N. in signo posteriore C. Restauratur explicatio in similitudine cognitionis divinæ de rebus non mere possibilibus.

135. *Dico II.* Deus hæc futura non cognoscit in decretis *subjective* absolutis et *objective* conditionatis.

Prob. Decreta ejusmodi repugnant

1^o. Circa *mere conditionate futura*; sic v. g. in Tyrionum et Sidoniorum conversione Deus habuit decretum simpliciter absolutum, quo statuit, ne apud illos fierent miracula; quia juxta Auctores hoc decreto Deus cognovit miracula apud illos absolute non futura; ergo Deus non potest simul habere aliud decretum *subjective* absolutum, quo statuat convertere illos, si apud eos fierent miracula. *Prob. Cons.* Deus non potest habere decretum sub conditione impossibili; quis enim dicat, posse Deum habere decretum, quo sic statuat: si homo habuerit alas, ego concurram cum illo ad volandum? Sed decretum convertendi Tyrios, si miracula apud illos fierent, jam foret de re sub conditione impossibili, quia posito decreto simpliciter absoluto,